Cap. XXVI.

Reducemus autem tria sequentia tempora ad primum. Quare quo loco eccentrici fuit ♂, Anno eodem redibit sub Fixis, Annis

1590	D. 4 Martii	H. 7	M. 10
1592	20 Januar.	6	45
1593	7 Decemb.	6	15
1595	25 Octob.	5	45

Motus tridui & 35 minutorum unius horæ anno MDXCII est apud MAGINVM 2°. 9′. 4″. Ergo visus est ♂ ad nostrum tempus in 9°. 23′. 40″. Anno MDXCIII motus horarum 1 M. XLV ex diurno 33′ est 2′. 25″. Itaque ad nostrum tempus locus MARTIS prodit 3°. 4′. 27″ ♈. Sic anno MDXCV motus horarum 2°. 25′ ex diurno 22′. 11″. est 2′. 14″. Ergo ad nostrum tempus locus MARTIS prodit 19°. 41′. 39″ ♉.

Sequitur ergo tabella locorum

MARTIS ex observatione; SOLIS ex calculo TYCHONIS.

	♂	☉
1590	24°. 26′ ♈	24°. 0′. 25″ ♓.
1592	9. 24 ♈	10. 17. 8 ♒.
1593	3. 4½ ♈	25. 53. 24 ♓.
1595	19. 42 ♉	11. 41. 34 ♏.

JAM QVIA propositum nobis est explorare, quantum TERRA ab ipso centro SOLIS distiterit, prius oportebit nos uti hypothesi ex oppositionibus cum SOLIS apparenti loco, supra cap. XVI extructa, ad investigandum situm lineæ, quæ ex centro SOLIS per corpus MARTIS in zodiacum educitur. Invenitur autem illa linea anno MDXCV D. XXV Octob. H. V M. XLV in 14°. 19′. 52″ ♉. Ergo temporibus tribus reliquis toties per 1′. 36″ est loco anteriori: nempe anno MDXCIII in 14°. 18′. 16″ ♉: anno MDXCII in 14°. 16′. 40″ ♉: anno MDXC in 14°. 15′. 4″ ♉.

Fiat schema primum in forma COPERNICI.



Cap. XXVI.

Et sit α SOLIS *centrum:* β *centrum eccentrici* MARTIS *per* ο *traducti:* χ *centrum æqualitatis motui eccentrico* MARTIS: γ *centrum eccentrici* TERRÆ: δ. ε. ζ. η. *quatuor loca* TERRÆ, *opposita locis* SOLIS *apparentibus:* ϑ *locus* MARTIS *in eccentrico suo. Connectantur puncta omnia cum omnibus.*

Igitur in δαϑ *triangulo*	
quia δα *est*	24°. 0′. 25″ ♓
& δϑ	24. 20. 0 ♈
Angul. ergo δαϑ	30. 19. 35
Et quia δϑ *est*	24. 20. 0 ♈
& αϑ	14. 15. 4 ♉
Ergo angul. δϑα	19. 55. 4

Assumatur αϑ 100000. *quæritur* αδ *quæ per doctrinam triangul. prodit* 67467.

Eodem modo in triangulo εαϑ	
quia εα	10°. 17′. 8″ ♒
Et εϑ	9. 24. 0 ♈
Ergo αεϑ	59. 6. 52
Et quia εϑ	9. 24. 0 ♈
& αϑ	14. 16. 40 ♉
Ergo εϑα	34. 52. 40
Prodit igitur εα	66632.

In triangulo ζαϑ	
quia ζα	25°. 53′. 24″ ♓
& ζϑ	3. 4. 30
Ergo αζϑ *complem.*	82. 48. 54
Et quia ζϑ	3. 4. 30 ♈
& αϑ	14. 18. 16 ♉
Ergo ζϑα	41. 13. 46
Prodit igitur ζα	66429.

Denique in triangulo ηϑα	
quia ηα	11°. 41′. 34″ ♏
& ηϑ	19. 42. 0 ♉
Ergo αηϑ *complem.*	8. 0. 26
Et quia ηϑ	19. 42. 0 ♉
Et αϑ	14. 19. 52 ♉
Ergo ηϑα	5. 22. 8
Prodit igitur ηα	67220.

ECCE *tibi distantias centri* SOLIS a TERRA *in fasciculo* δα 67467
εα 66632
ζα 66429
ηα 67220

Tentabimus, quanta ex hisce distantiis extruatur eccentricitas. Nam si SOLIS theoria caret æquante, eccentricitas hujus circuli prodibit 3600 proxime: propterea, quia usi sumus veris seu apparentibus locis SOLIS, quorum æqualitatis punctum tanto spacio (nempe 3600) a centro mundi distare necesse est, ut BRAHEVS ex observationibus Solaribus probavit. Sin autem minor prodibit eccentricitas & quam proxime dimidia BRAHEANÆ, vicimus & evicimus, æqualitatis illud punctum, quod BRAHEVS invenit, non esse centrum eccentrici SOLIS.

Vides autem (ut obiter admoneam) primo intuitu, αζ *esse brevissimam, utpote circa perigæum Solis: post* αε *longiorem, utpote in* ♒, *34 gradibus a perigæo: tum* αη, *utpote 54 gradibus a perigæo: denique longissimam* αδ, *quia 80 gradibus abest a perigæo. Ac cum* αζ *sit pene in perigæo, erit igitur exiguo longior brevissima. Sic cum* αδ *sit prope longitudinem mediam, erit paulo minor mediocri distantia. Quare eccentricitas prodibit paulo major quam 1038. quæ differentia est inter* δα & ζα. *Et si* δα *suscipiat dimensionem 100000, tunc 1038 valebit 1539: & tanta fere, nempe exiguo major, evadet eccentricitas. Id autem multo propius est dimidiæ* TYCHONICÆ *1800 quam integra 3600.*